

zu
usfeud.
115 b

Ius Feud. Vol. 9.

D E
COLLATIONE FEVDORVM

S C R I P S I T

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO GOTTLLOB
BIENERO**

INSTITUTIONVM IVRIS CIVILIS PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO, SVPREMAE CVRIAЕ ELECTORALIS
SAXONICAE ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ADSESSORE

A. D. XII. DECEMBERIS MDCCXCIII


H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTATVRVS

DANIEL EBERHARDVS LOEHR
LIPSIENSIS.

L I P S I A E,
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

1X, 18.



PRO O E M I V M .

Cum scribendi disputandique materiam quaererem, ratione studiorum meorum id ipsum suadente et exigente, praeter alia argumenta hoc de feudorum collatione, operam studiumque mereri visum fuit. Siue enim controversas hac in re iure consultorum opiniones, nostra in primis aetate prolatas, siue ipsius argumenti mecum perpendens grauitatem, dignum quod ubriore disquisitione tractaretur existimauit. Sed vi- rium mearum imbecillitate satis perspecta, haec ipsa grauitas, partim in rationum ex variis legibus subducendarum subtilitate, partim in decisionum effectu, quippe in tali lite de tribus capillis quaeri non solet, reposita, potuisset quidem me scribendi expertem absterrere, animum autem firmavit et virorum doctorum indulgen- tia, in iuuenili conatu dijudicando adhiberi solita, et occasio scribendi mihi, exeunte studiorum academicorum cursu, opportune oblata. Iam igitur rei ipsi me accingam. Necesse erit, saltim ut ego rem perspicio,

A 2

vt



vt nonnulla de collatione principia, manifesta ac ne iis quidem, qui vel prima legitimae scientiae attigerunt rudimenta, ignota praemittam, tam vt constet, quibus iuribus regulisque tota tractatio regatur, quam vt ne in iusta eorum applicatione erretur. Cum enim ipsae leges collationem feudorum non definiuere, ex rationibus ciuilium et feudalium legum, nostra fere constabit disputatio.

C A P. I.

QVIBVS PRINCIPIIS REGVLISQVE FEVDO- RVM COLLATIO DIIVDICANDA SIT DISQVIRITVR.

T I T. I.

De origine, notione et fine collationis in successione liberorum ex iure Romano.


Iure Romanorum antiquo, omnis fundata erat successio ab intestato, communione sacrorum et bonorum ideoque ii, qui ex hac causa ad successionem vocabantur, sui heredes appellati. At enim liberi viuo patre sui iuris emancipatione paterna effecti, amittebant ius patri succedendi, nisi forte pater de re familiae sua disponens, eosdem in communionem successonis reuocasset. Praetor, qui editis suis multifarie iuris ciuilis stri-
cti

Eti et correxit et limitauit iniquitatem, liberis quoque succurrit emancipatis, dans iis bonorum possessionem, ea tamen lege, vt bona sua conferrent atque pristinam redintegrarent communionem. Liberi enim a patre emancipati, saepe opes accipiebant, quibus et instruerentur et rem agerent suam, atque nunc etiam sibi non patri, qui autem in patria potestate remanserant, non sibi sed patri acquirebant. Ne igitur vetus iniquitas, noua iniuria submoueretur, prudenti consilio Praetor introduxit collationem bonorum. Quod expressis verbis commemorat VLPIANVS, princ. L. I. D. de collat. bonorum, hic, inquiens, *titulus manifestam habet aequitatem; cum enim Praetor, ad bonorum possessionem contra tabulas, emancipatos admittat, participesque faciat cum his qui sunt in potestate: consequens esse credit, ut sua quoque bona in medium conferant, qui appetant paterna.* Quam aequam iuris honorarii dispositionem responsa prudentum excoluerunt, constitutionesque Imperatorum confirmarunt, vti docent

L. io. D. de collat. bon. et L. I. D. de dotis collat.

L. 7. et vlt. C. de collat. et Nou. 18. cap. 6.

Idem quidem obligationis conferendi et iure antiquo et novo Romano est finis, sed fundamento successionis legitimae mutato, novoque succedendi ordine praescripto, etiam circa ius collationis multa innovari oportuit. Emancipatis enim cum Praetor bonorum



rum possessionem concederet, omnia in pristinam communionis causam reducenda videbantur, ideoque ut omnia sua conferrent bona iussit. Reddebantur igitur et bona olim a patre profecta et postea temporis acquisita, ne sui iniuriam per bonorum possessionem paterentur. Stricta autem iuris noui interpretatione receptum suit, ut obligatio conferendi, ad unicum hunc casum, si concurrent emancipati cum suis referretur, cessaret contra si aut sui cum suis, aut emancipati cum emancipatis concurrent

L. 1. §. 5. D. de collatione bonorum.

L. 2. §. 5. D. eiusd. tit.

At enim iure novo pristina successionis causa sublata, omnes descendentes adscendentibus successuri, non tantum emancipati suis, sed et sui suis et emancipati emancipatis, cuiuscunque sexus vel gradus sint, siue ab intestato siue ex testamento succedant, sibi inuicem debent conferre


L. 17. et 19. Cod. de collat. Nou. 18. Cap. 6.

Omnibus enim idem et aequale in bona parentum competit ius, omnium igitur, nisi aut lex exceptionem statuerit aut expressa parentum aliud quid disposuerit voluntas, idem et aequale debet esse commodum et incommodum. Itaque iure novo collatio est actus, quo coheredes adscendentibus succedentes, res quas ab ipsis viuis acceperunt, in communem inferunt hereditatem,

vt

vt aequaliter inter omnes distribuantur. Iustam hanc
 esse definitionem statim apparebit, si paucis tantum-
 modo attigerim, qua de causa inter adscendentes, col-
 laterales et extraneos denique, de collatione quaestio
 non possit moueri. Quo tempore edictum Praetoris
 conditum fuit, easus collationis inter adscendentes ne
 fingi quidem poterat. Quem enim fugit, ante senatus
 consultum Tertullianum, matrem a patre, semper fuisse
 exclusam? Cum autem iure nouo, deficientibus de-
 scendentibus, mater simul cum patre vocaretur, colla-
 tionem bonorum non inique applicandam, unus alterue
 contendere posset, nisi leges recentiores semper strictae
 essent interpretationis, et IVSTINIANVS *Nou. 18. cap. 6.*
 tantummodo aequalitatis inter liberos obtaindae men-
 tionem fecisset, expressa adeo haec addens verba: *omni-
 bus, quae prius de collatione sancita erant, in sua virtute
 manentibus.* Efficitur igitur, vt collatio inter adscenden-
 tes cesset, et pater materue solus solaue lucro quod a
 viuo filio vel filia accepit, potiatur. Non magis atque
 adscendentibus, ius antiquum a latere iunctis, bono-
 rum iniunxit collationem, nec extraneorum ea in re
 habuit rationem, non est igitur vt hac de re vberius
 disputem.

TIT.



T I T. II.


*Obligationem conferendi ad id quod a viuis parentibus profectum
restringi oportere, neque ad ea quae morte parentum adquiruntur
proferri posse differitur.*

Iam fusius disquirendum erit quae res collationi
sint obnoxiae? Iure antiquo emancipatis omnia bona
sua conferendi iniunctam fuisse necessitatem supra dixi-
mus, neque Praetor finem suum iura liberorum exae-
quandi, alio modo poterat consequi. At enim iure
acquirendi per liberos in sacris parentum constitutos,
ad iustos limites redacto, variisque liberorum peculiis
inuentis, non potuit non ad quaestus liberorum ab onere
collationis eximi. Liberi enim utriusque generis et sui
et emancipati aequali fere iure in dominio rerum acqui-
rendo gaudentes, separatas nunc et peculiorum et pa-
trimoniorum habebant rationes, poterat vni aut fors aut
labor maiores opes quam alteri adiicere, poterat unus
diligentior augere pecunias, alter negligentior disper-
dere, iniquum igitur fuisset ius antiquum custodire.
Quam ob rem oneri collationis, quod liberis ex propria
causa obuererat, absque omni patriae potestatis contem-
platione, exemptum fuit. Quae quidem omnia natura
duce inuenta et recepta fuere. En igitur legum noua-
rum principium, inter omnis generis liberos ratione
collationis applicandum, quod ea solummodo bona,
quae

quae a parentibus acceperint, in communem conferre debeant massam. Vti autem nulla fere regula sine exceptione, ita etiam, quod ad collationem attinet, multae dantur exceptions. Primum enim non poterit locum habere, si leges ipsae ratione rerum quarundam collationem interdicant, nec parenti, de cuius bonis agitur, contrarium placuerit. Atque ut huius generis vnum modo in promtu sit exemplum, peculium castrense et quasi castrense ex *L. i. §. 15. D. de collat. bonorum* in memoriam reuoco. Altera eaque maioris momenti circa ius conferendi innouatio, in eo cernitur, quod cum iure antiquo in casu successionis ab intestato obseruaretur, iure novo ad casum testati prolatum fuerit. **IUSTINIANVS** **Nou. XVIII. cap. 6.** hanc iuris sui reddit rationem, quoniam incertum sit, testatores oblitine sint datorum, an praetumultu mortis angustiati, eorum non fuérint memores. Cessabit igitur et tunc collatio, si aliam certo constat parentum fuisse voluntatem, siue verbis mentem suam declarauerint, vtpote omninem collationem interdicendo, siue factis expresserint, omnia bona sua, sine vlla rerum huic vel illi liberorum ante datarum mentione, inter hos ipsos distribuendo. Atque ita **SCAEVOLA** subtilissimus iuris auctor *L. 39. §. 1. D. famil. ercisc. ex coniectura voluntatis respondit.* Esto igitur regula, ea collationi esse obnoxia, quae a parentibus proficiscuntur, quod cum duplicitate contingere possit, aut viuis

B

aut



aut mortuis parentibus, neque vlla dubitatio sit, de iis quae viui parentes in liberos contulerunt, sequitur, vt quid in altero genere iustum sit videamus. Duas species constituo, vnaque ea complector, quae a liberalitate parentis vltima voluntate declarata proficiscuntur, altera autem ea in quae viuis parentibus, liberis iam competit ius, ita vt morte patris ipsorum demum possessio fieret. Quod ad vltima parentum voluntate relictā attinet, omnes consentiunt eorum non requiri collationem. Cum enim supra monuerim, rationem collationis in casu testati, esse presumtionem, testatorem mortis perturbatione pressum, datorum oblitum esse, intelligitur, id de iis quae expressa testatoris voluntate, vni p̄ae altero deputantur, dici non posse. Quare consentiens est omnis Iureconsultorum schola, vltimae voluntatis lucra, collationi non esse obnoxia. Atque id ipsum etiam ex pluribus legum locis intelligitur, ex quibus

L. 10 et 12. Cod. de collationibus

excitatſſe ſufficiat. Iam vero de iis, in quae liberis, viuis parentibus iam ius competit, quae autem poſt mortem demum pleno iure deferuntur, diſſicilior erit quaefiſio, quam, quaſi cardinem totius meae diſputationis, vberius vt enucleem eſt neceſſe. *VLPIANVS L. 1. §. 19. D. de collatione bonorum*, quam huius diſputationis fundum duco, ait: *Si ab ipſo patre herede iuſtituto, filio eius fidei-comiſſum fuerit relictum, cum morietur, an id conſerendum*

rendum est, quoniam utile est hoc fideicommissum? et eueniet, vt pro eo habeatur, atque si post mortem patris relictum fuisset; nec cogetur hoc conferre, quia moriente eo eius non fuisset. Casus legis in aprico est. Dubitatur autem an fideicommissum hoc collationi sit obnoxium. Ratio ex qua id contendi possit, inde promitur, quia utile est hoc fideicommissum, id est praestari debet, neque tamen non id negatur, quia si filius ante patrem mortuus esset, eius non fuisset. In fideicommisso enim tali adiectione reliquo necesse est, vt superuiuat honoratus morte onerati et veniente die, placuit igitur Vlpiano, quia morte heredis demum acquiritur, cessare collationem eundem in modum, atque si post mortem patris relictum fuisset. Cum igitur in universum per ultimam parentum voluntatem reliqua, collationi existantur, et id in quo viuo patre, ius quidem aliquod competit filio, cuius vindicatio autem et adquisitio morte demum patris defertur, pro eo habeatur, atque si post mortem patris relictum fuisset, et ex hac ratione collationi non subiiciatur; regulam iuri Romano siue leges ipsas siue earum rationem species, congruentem duco, adquisita post mortem patris, siue ex ipsa patris substantia et voluntate, siue aliunde proficiscantur, collationi esse exenta, atque eum solum praecipuo aliquo iure sequi, in quo eius rei causa existit.

TIT. III.


Eadem iure hodierno obtinere principia statuitur, nouis tamen exceptionibus ex successione Germanorum particulari subiectis.

Quae hactenus disputata fuere, plane maiores nostri ignorarunt. Quanquam enim inter ipsos etiam colebatur communio, indeque successio repetebatur, alius tamen naturae erat, ideoque placita Quiritium in legibus Germanorum frustra quaesiveris. Recepto autem iure Romano, successionibusque priuatorum inde existimatis et iudicatis, etiam doctrina de collatione admissa fuit, atque si hodie viui parentes vni liberorum, hac vel illa moti causa, res tradant, indeque oriatur inter descendentes, inaequalitas, ut huic medeamur collationis necessitas iniungitur. At vero maximi momenti nunc oriatur quaestio, in quibus successionibus, istis de collatione principiis locus detur? Constat enim duplarem ex moribus Germanorum esse successionem, vniuersalem, quae in vniuerso defuncti patrimonio obtinet, et particularem, quae ex proprio Germanorum iure, certis personis in determinatis rebus, rerumque generibus competit. Huius successionis propria natura est, Quiritibus plane incognita, ius viuo possessore competit ex ipsa lege, quod per ultimam voluntatem interuerti nequit, atque illae ipsae res, quae particulari successione comprehenduntur, in bonis defuncti computantur quidem, ita tamen

tamen, vt ipsa morte suos heredes sequantur, nec hereditate, tanquam vniuersitate honorum contineantur. Cuilibet mox Gerada et Heergewetta et vtriusque successio succurrit, eidem tamen feuda quoque esse adnumeranda nullus, qui eorum naturam penitus expendit, dubitabit. Patri quoad viuit, competit possessio cum omni utilitate, sed morte eius successio liberorum est, nulla, vt cum Auctore Iuris Feudalis *I. Feud. 8.* loquar, *ordinatione defuncti in feudo manente vel valente.* Iam occupant filii feudum patris et vt iterum cum lege *I. Feud. 1. §. 2.* loquar; *licet filiae ut masculi patribus succedant, legibus tamen a successione feudi remouentur.* Feudum igitur ipso iure vniuersae patris substantiae eximi et ad successores suos transferri, manifestum est, atque id eatenus adeo verum est, vt etiam si pater de omnibus bonis disposuerit, feudum tamen semper exemptum habeatur. Videamus an in his rebus collationis ius applicari possit debeatque. Evidem id negandum regulamque definitam duco, res successione particulari parentis adquisitas, collationis oneri non esse subiectas. Primum vt id statuam, inducor iuris Romani argumento, quod exemit ea, quae post mortem aut ipsa morte acquiruntur. Facilis enim atque indubitate mihi videtur esse applicatio ad eas res, quae successione particulari deferuntur. Ius enim ex lege competit, adquisitio fit morte parentis, inde sequitur, vt hoc quod iure proprio ad-

B 3,

quisi-




quisitum fuit, optimo iure retineatur. Deinde leges Germanorum, harum rerum successionem pro singulari praerogatiua habuerunt, statueruntque ut ne vltima voluntate possit impediri, inde mihi argumentari posse videor, hanc praerogatiuam multo minus imminui posse, successione post mortem parentis exorta et facultate adquirendi in ius quaesitum conuersa. Infringeretur enim partim successio a lege tributa, partim ius morte parentis adquisitum, atque hoc non foret applicare leges peregrinas silente iure patrio, sed calumniari iura a maioribus statuta et ad posteritatemi propagata. Hoc certe, si quis vnquam fuit, pro abusu iuris peregrini habendum, ideoque plane non est admittendum. Quare nego collationi esse obnoxiam Geradam atque Heergewettam, neque memini legere, in his successionibus collationem fuisse postulatam aut defensam. Atque hanc etiam esse legislatoris Saxonici D. Avgvsti mentem P. III. Const. 37. sancientis; *Aber die Töchter ob sie gleich Erbe nehmen, so können sie doch auch ihre Gerade fordern,* patet. Idem etiam non potest non valere in Heergewetta filiis debita. CARPZOVIUS enim Def. 9. ad Const. 9. P. III. recte dicit: *res expeditorias ad exemplum Geradae esse introductas, ita ut quid iuris sit in Gerada respectu cognatarum, idem etiam obtineat in rebus expeditoriis respectu agnatorum.* Ali quanto difficilior videtur huius quaestionis in feudo definitio, non tam ex iurium legumque vitio, quae plana et

et applicatu facilia sunt, modo vtriusque iuris, Romani et Germanici, natura consideretur, sed ex opinionibus Iureconsultorum, qui disputando rem iure patrio certam ac definitam ex contortis iuris peregrini ratiunculis, dubiam facere studuerunt. Sed hac de re post dicam, nunc reliquum huius capitatis persequar.

TIT. IV.


Quatenus principia proposita ex causa legitimae exceptionem patiantur.

Principio per XII. tabulas introducto; pater familias vti legassit de re familiaue sua, ita ius esto; quantopere abusi sint patres, quam iniustissime saepe numero liberos bonis suis defraudarint, neminem ne dicam iure consultorum, sed vix obiter Romanorum historia imbutum potest fugere. Obex autem his iniuriis paulatim fuit positus, tam querela inofficiosi testamenti, ex responsis prudentum recepta, quam per legitimam ex ratione legis Falcidiae primitus introductam. Haec quidem paulatim tot legibus munita et sancita fuit, vt parentum voluntati atque potestati penitus eximeretur, neque vlla ratione imminui, infringi aut defraudari posset. Atque illa ipsa quae tantopere iactatur Socini cautela, omnem vim suam ex voluntate liberorum sortitur, vt ne per hanc quidem sanctitas legitimae infirmetur. Receptis



ceptis Romanorum iuribus, etiam haec doctrina admissa fuit, sed difficultates in applicatione, praesertim in rebus ad successionem particularem relatis, emersere. Paulatim tamen in iure priuato receptum fuit, vt ne liceret parentibus, in fraudem legitimae res comparare, quae successione particulari non ad omnes aequaliter liberos pertinerent. Atque omnino id ipsum aequitas in iure privato suadere videbatur. Quare successio particularis, salva reliquorum liberorum legitima, accipi debet, ita tamen vt non prohibeatur aut impediatur ipsa successio, sed ex his bonis id quod legitimae deest repleatur. Itaque liberis in tali casu non tam in officiosi querelam, quam expletoriam actionem dandam esse puto. Quod si igitur mulier, vt filios pecunia defraudaret sua, in gemmis et ornamenti opes suas absumserit, dubitandum non est, quin fratres a sororibus legitimam petant, nec tamen collationem totius Geradae, vt aut ipsae res aut aestimatio inter omnes distribuatur, obtinebunt, est enim haec propria filiarum successio, cuius filii participes non sunt, legitimam tamen fratrum ex Gerada sororum compleri aut praestari oportet. Sed caue, vt cum memorato casu confundas eum, cuius mentio fit in CONST. SAX. u. Part. III. his verbis; *Dieweil nach Verordnung der Rechte, alles das was die Kinder vermöge einer Willkür (statuti) oder sonst aus ihrer Eltern Gütern bekommen und empfangen, mit in die legitimam gezogen wird,*

wird, so soll auch gleichergestallt die Gerade in der Töchter legitimam eingerechnet, und demnach also erkannt und gesprochen werden. Etenim hac lege sermo est de eo casu, si mater mortua nulla reliquit immobilia, et maritus, iure Saxonico heres mobiliaris vxoris defunctae, ex mobilibus constituere debeat liberis suis legitimam. Tunc aequum videbatur legislatori Saxonico, omnia imputari in geradam, in quo casu non tam iuri collationis locus est, quam legibus de legitima supplenda et praestanda scriptis. Disertis etiam verbis *Def. 4.* ad dictam constitutionem CARPZOVIVS in fauorem ait mariti, imputationem geradae adinuentam esse, ideoque fratribus in petenda legitima ex bonis matris defunctae mobilibus, cum sorore concurrentibus non prodesse. Cuius sententiae veritatem probat iam laudata Const. Elect. 37. Part. III. verbis: *Aber die Töchter ob sie gleich Erbe nehmen, so können sie doch auch ihre Gerade fordern.* Itaque ex *Const. Elect. 11. Part. III.* inferri nequit, collationem geradae in vniuersum esse necessariam et lege Saxonica praescriptam.



C A P. II.

DE FEVDORVM COLLATIONE INTER
LIBEROS.

T I T. V.


*Feudum antiquum in concursu filiorum et filiarum collationi non
esse obnoxium demonstratur.*

Collationi tunc locum esse, si vni alterius liberorum a viuis parentibus res quaedam sint datae et iura reliquorum violata, ad aequalitatem restituendam, iam supra diximus. Differuimus etiam, res particulari successione adquisitas, generatim oneri collationis eximi oportere, videamus igitur quid in feudis iustum iniustumue sit. Antiquissimis Germaniae temporibus, quorum memoria constat, occurrunt omnino feuda, verbo latino beneficia appellata. Lex autem beneficiorum erat, ut possessor pro usu et fructu eorum militaret. Itaque sua sponte sequebatur, ut feminae beneficiorum essent incapaces, stipendia enim per alios mereri a natura feudorum primaeua abhorrebat. Olim quidem possessio beneficii morte vasalli redibat ad dominum. Cum autem plerumque munus patris cum beneficio, filio eidem obeundo pari et parato conferretur, paulatim successio in feudis est introducta, legibusque firmata; quae hodie
vbique

ubique locorum, existente scilicet nexu feudali, valet,
 nisi exceptio in singulis speciebus probetur. Dantur
 quidem et feuda feminina vel promiscuae vel subsidiariae
 successionis, semper tamen successione ad feminam de-
 lata, per prouasallum promerenda. Atque etiamsi mi-
 litiae status hodie sit mutatus, tamen naturalia feudorum
 hodienum obtinent, et secundum ea quae *Il. Feud.* 2. §.
 2. et 3. continentur, successio seminarum, tanquam ex-
 ceptio a regula probari debebit, qua non probata omne
 ius in feudum filiabus recte denegatur. Itaque post suc-
 cessionem feudorum introductam, feudum antiquum il-
 lud appellant, quod a maioribus adquisitum fuit, e
 contrario feudum nouum, quod quis sibi pecunia ope-
 raue sua primus comparauit. Ipsam autem feudi suc-
 cessionem non vniuersalem esse, id est non successione
 in vniuersam patris substantiam comprehendi, sed iure
 proprio ad eos, qui feudi capaces sunt, transferri, iam
 supra probauimus. Omnes vno ore consentiunt ex
 feudo antiquo ne legitimam quidem peri posse, tantum
 abest ut collationi subiectum dicatur. Etenim cum fi-
 liarum iuribus, licet filii soli feudum accipiant, nullum
 detrimentum inferatur, eius collationem a filiis ex pacto
 et prouidentia maiorum in feudum succendentibus non
 poterunt exigere, ne eo quidem casu, si pater nihil praes-
 ter feudum reliquerit. Quam vera sint haec omnia, inde
 etiam intelligitur, quod successori feudi in tali casu, nihil

C 2

prae-



praeter onus alimentorum et dotis impositum reperiatur. Atque id ipsum Saxoniarum legum dispositiones filiarum causa factae praese ferunt. Hae iniungunt primum successori feudali dotationem filiarum vasalli,

Const. Ele^t. 46. Part. II.

securitatisque ergo ipsis tacitam reseruant in feudo hypothecam,

Ordin. Proc. Tit. 45. §. 13.

Deinde constituunt, vt filiae ex feudo in subsidium alantur et edacentur. Quae omnia superflua forent, si filiabus ipsum feudum conferendum esset. Par mihi videtur esse ratio feudorum femininorum, in quibus non existente mascula prole ad successionem feminae vocantur. At vero plane aliae rationes in feudo femineo promiscuae successionis, nec non in hereditario ineundae sunt. In his enim filiorum et filiarum paria sunt iura, eamque ob causam in fraudem successionis nihil a parentibus statui debet. Felicissimo igitur cum successu horum collationem filiae petent, si forsan filii iam viuis parentibus consensu domini directi tale feudum acceperint. Quare adeo frater a fratre in proposita specie collationem exiget. Idem iam statuit REPGOVIVS *Iur. Prouinc. Lib. I. Cap. XIV.* his verbis: *Wenn es auch gleich Lehnrechtens ist, dass der Herr nicht mehr denn einem Sohn, das väterliche Lehn verleyhet, so ist es doch nicht dem Landrecht gemäss, dass dieser es allein behalte, woferne*

ferne er nicht seinen Brüdern, soviel eines jeden Theil daran beträgt, erstattet. Also ist es auch nicht Landrechtns, ob der Vater seinem Sohne sein Lehn abtritt, und es ihm zugleich aufläßt, dass dieser nach seines Vaters Tode es zu voraus behalte, und in den übrigen Leben gleichen Theil mit seinen Brüdern nehme, und ob sie ihm solches gleich nach Lehnrecht nicht verweigern könnten, so ist es doch nicht Landrechtns, daher klagen sie über ihn zu Landrechte, so zwingen sie ihn daselbst wohl mit Urtheilen zu richtiger Theilung. Rationes decisionis ex aequali succedendi iure promi, nemo non videt. Itaque in his speciebus omnia iuris Romani principia, de aequalitate inter descendentes, ratione successionis constituenda, ut assumamus oportet, et doctrina de collatione suos exserat effectus.


T I T. VI.

Feudum nouum successione in filios delatum non esse obnoxium collationi demonstratur.

Attingam nunc punctum a viris doctis praesertim nostra memoria in controuersiam vocatum, magis ex specie aequitatis, quam veris et solidis iuris legumque rationibus. Omnimodo verum est, cum hodie non antiquus feudorum sit finis, cum seruitia militaria non amplius in natura praestentur, cum magna ista incom-

C 3


moda



moda et pericula vasallo aciem sequenti imminentia cef-
sent, cum potius maxima emolumenta ex feudorum
possessione redundant, iniquum videri posse, filios non
solum praerogativa gaudere, feendum super a patre ad-
quisitum, exclusis sororibus, occupandi, sed etiam im-
munes esse ab obligatione id ipsum eiusue pretium con-
ferendi. At vero haec tanti non sunt ut leges calumnie-
mur. Quod ad aequitatis disputationem attinet, equidem
non video, quomodo his rationibus ius certum et a ma-
ioribus traditum labefactari aut infringi possit. Quod si
enim ab alimentis recesseris, quae filiis et filiabus aequa-
liter praestari oportere fas et iura praecipiunt, omnis
disputatio vaga et incerta est, ideoque rationes ciuita-
tum inspiciendae et sequendae erunt. Aequum autem
omnibus fere gentibus visum fuisse, ut masculi praero-
gatiua successionis, praesertim in rebus immobilibus
gaudarent, constat, regantemque ad PERIZONIVM de
Lege Voconia feminarumque hereditatibus, DREYERVM
de inaequali masculorum et feminarum secundum iura Cim-
brica successione, ut alios omittam, ablego. Atque ille
apud Hebreos, inquit, *omnium aequissimus et iustissimus*
vouoθέτης, Deus ipse, cum illis iura successionum in reli-
cta a mortuis bona per Mosen traderet Numer. Cap.
XXVII. constituit, ut filia non aliter ad hereditatis pater-
nae possessionem vocaretur; quam si patri suo filius nullus
esset. Deinceps vero inter caeteros heredes, si quis sine li-
beris

beris deceſſiſſet, nullam prorsus mentionem fecit Deus ul-
 lius feminae, non fororis, non amitae, fed fratriſ tantum,
 patrui et caeterorum maxime propinquorum inter gentiles
 defuncti. Quare in refellendis aequitatis rationibus non
 morabor, fed iura perſequar. Feudum nouum titulo
 lucratiuo adquisitum, ſiue ex mera domini aut vasalli poſ-
 fessoris liberalitate proficiscatur, ſiue expectantiae iure
 occupetur, ſiue ſucceſſione ex propria cauſa obtineatur,
 patris fit eatenus, quatenus feuda in dominium redigun-
 tur; ex legibus iuribusque feudorum ſolis filiis per patris
 inuenitur ius acquiritur, ſequitur inde, vt filiae poſt
 mortem patris in hiſ casibus nullum plane ius in filios
 alioſue feudi ſuccesſores ſibi adſerere queant. Feudum
 enim nunquam talis fuit pecunia, in quam filiabus ius
 aliquod competierit, ideoque nulla ſuppetit ratio, ex
 qua de iniuria ſibi illata conueri poſſint, tantumque ab-
 eſt, vt collationi feudum morte patris ad filios delatum
 ſubiiciatur, vt ne legitima quidem inde petatur augea-
 turue. Quod ſi vero pater allodium ſuum, in quod
 filiabus cum filiis aequalis eſt ſuccesſio, obtulerit in feu-
 dum, neque pacto adiecto filiabus prospexerit, aut ſi
 pecuniam opesque in feudis emendis, a quorum ſucceſſione
 filiae excluduntur, collocauerit, et morte patris
 haec feuda ad filios deuoluantur, eaque ratione filiae
 praediis pecuniisque paternis per oblationem emtionem-
 que feudorum defraudentur; quaefitum fuit, an ne his

com-



competat ius exigendi a fratribus, vt feuda eorumque aestimatio in communem hereditatis massam restituantur. Id quidem mihi pluribus rationibus negandum videtur. Primam ex natura feudi successionisque feudalis promendam duco. Feudum enim eius naturae est, vt nunquam cum vniuersa patris substantia misceatur, eandemque atque reliqua bona sortiatur naturam. Hoc igitur omni iure filiis deputatur, neque viuo patre nullum ius filiabus competit. Mortuo patre, filii succedunt in feudo, aut filiis deficientibus agnati et simultanei investiti; haec successio ipsa lege definitur, neque cum civili, quae in vniuersam patris substantiam solo sanguinis iure omnibus liberis tributa fuit, misceri debet. Ponendum igitur ipsa patris morte filios effici feudorum dominos et ius perfectum adquirere, dic mihi quaeſo ex qua ratione filiae ius lege publica et patris morte quaeſitum infringere et eripere possint? Spes succedendi in re pecuniaque patris, quoad feudum non erat, filiabus quidem fuit, patri autem natura et lege facultas disponendi de re pecuniaque sua, hoc iure vſus est, et spem filiarum euertit. His igitur viuo patre nullum ius competiit, morte eius delata fuit successio filiis, filiabus contra ne spes quidem a viuo patre iam euersa, cessat igitur omne ius exigendi collationem. Altera ratio ex natura collationis et successionis ciuilis repetenda mihi videtur. Omnes qui vel aliquam doctrinæ de collatione ex iure Romano sibi com-

comparauerunt cognitionem, sciunt si salua sit legitimia, non conferri ea, quae per ultimam parentum voluntatem vni vel alteri liberorum p[re] reliquis sunt relict[us]. Est enim haec libertas parentibus data, liberosque huic parentum suorum voluntati adquiescere oportet. Sed non minus expediti iuris principium est, ut supra ostendi, per ultimam voluntatem relictis aequiparari ea, in quae viuis parentibus filii quidem ius habent, quorum possessio autem morte parentum demum defertur, eaque de causa etiam in his bonis ex ipsis Romanorum iuribus cessare collationem. Quae quidem in feudis applicari et posse et debere quilibet facile intelliget. Atque hanc ipsam etiam esse patris voluntatem in feudo novo comparando, ex sequentibus intelligetur. Pater enim, licet ne minima quidem gaudeat iuris feudalis scientia, tamen rem domino oblatus aut feudum emturus, fando saltim audiuit, a successione feudali excludi filias, atque id ipsum ex toto actu, quem agit offerendo praedium emendoue feudum intelligere potest. Quod si igitur neque pacto neque ultima voluntate pater mentem contrariam declarauit, firmissima est coniectura atque consecutio, patrem voluisse ut feudum ad solos filios, exclusis filiabus, pertineret. Itaque hae nec ex voluntate patris feudi collationem vrgere poterunt. Ne quis obiiciat ex *Nou. XVIII. cap. 6.* patrem forte oblitum esse eorum, quae data fuere, aut perturbatione mortis pressum illius rei

D


men-

mentionem non fecisse. Haec enim ratio ad collationem in casu testati defendendam allata, ultra sensum legis proferri, certe inde feudum collationi esse obnoxium effici nequit. His argumentis iam intelligi puto, feudi noui collationem a filiis exigi non posse, et plerique omnino consentiunt, quamuis contrarias in ipsa re sequantur partes, quia negare non audent, filias feudi esse incapaces, collationemque esse alienationis speciem vasallo interdictam, neque tamen non, quae est naturalis hominum ad dissentendum cupido, contendunt, etiamsi ipsum feudum non conferatur, pretium tamen eius conferri oportere. Nam quid impedit, aiunt, quominus pretium feudi fratribus imputetur, quod feudo non emto, pro rata filiarum cum filiis fuisset? Optime haec omnia sonant, et fortassis multam sexus sequioris merbitur gratiam Iureconsultus, cui ita placet ratiocinari. Si contentus sit hac feminarum gratia, nec postulet ut principia legibus contraria assumantur, nihil habeo, quod contradicam. Quodsi vero hoc efficere conabitur, vereor, ut lege legumque rationibus probari possit haec sententia. In promptu quidem erit argumentum analogicum. Etenim iure Romano feminae non erant capaces munierum publicorum et tamen filii ad pretium munieris ipsis a patre emti conferendum tenebantur. Itaque colligunt, ut, cum filiis iure Romano pretium munieris, cuius filiae non erant capaces, imputaretur, etiam

pretium feudi noui ipsis in portionem hereditariam imputetur, salua caeteroquin feudi possessione. Sed parum hoc argumento analogico lucrabuntur. Primum enim hac argumentatione, quae supra adstruximus, refelli non possunt. Aliae enim sunt munerum emtorum rationes apud Romanos atque feudorum apud Germanos, atque nego inde argumentum peti posse. Deinde ne procedit quidem argumentatio ob casuum diuersitatem. Munus enim cuius pretium filius confert, emtum patris pecunia, siue filio concessum superstite patre siue mox ipsi filio emtum et traditum, non per vltimam voluntatem aut post patris mortem adquisitum, sed ex re patris viuo patre profectum erat. Quare hic casus omnino ex regula iudicabatur, qua ea quae parentes viui liberis donarunt, post mortem ipsorum in collationem veniunt, adenita duntaxat facultate rem ipsam conferendi, id quod ex natura munieris statutum fuerat. Deinde haec collatio non sororibus solum, sed fratribus proderat, ideoque etiam in effectu regula obseruabatur. Quam obrem nego inde effici, vt pretium feudi morte patris in filium delati collationi obnoxium habeatur.

D 2

TIT.



T I T. VII.

*De legitima fliabus ex feudo nouo debita, ductoque inde argu-
mento feudum collationi non esse obnoxium.*

Supra iam diximus, ex iure Romano legitimam suis heredibus debitam cum sanctitate legibus Quiritium eidem tributa receptam fuisse, negauimusque res successione particulari comprehensas in fraudem eius comparari posse, idemque in feudis nouis statutum receptumque fuisse, mox patebit. Recte enim HORNIVS in *Iurisprudentia feudali Cap. 15. n. 10.* Cum feminae, inquit, a feudo excluduntur, nec legitimam ex eo petere possunt portionem, quae est portio illius quod ab intestato debetur, sexus vero sequior feudalis successionis est incapax, et pergit paulo post: *Quod si vero feudum, quod repellit feminas a successione, nouiter sit comparatum, et pater in illud omnia sua bona, vel maximam partem eorum impenderit, ac sic in legitima filiae damnum sentiant, utique vel totum vel supplementum petere possunt ex isto feudo.* Idem dicendum est, si quis bona sua omnia vel maximam partem in feudum obtulerit, et sic inofficiosa quadam liberalitate erga successores feudales, filiarum laesit legitimam. Cur tunc, si vel nulla plane patris remanserunt bona alodialia, vel non tot ut propter debitam legitimam filiabus possit satis fieri, haec in subsidium ex feudo sit de-promenda, ex supra dictis prono fluit alueo. Non qui-
dem

dem consentiens est virorum doctorum opinio, an et
 quatenus ex feudo nouo filiabus debeatur legitima,
 SCHILTERVS certe cum aliis quibusdam *Exercitatione XIV.* ad *Digesta* §. 73. omnem filiabus ex feudo legitima, denegari debere censuit. LORBERVS A STOER-
 CHEN in *Prolusione*, *an filia ex feudo masculino nouiter a patre emto — petere legitimam possit?* §. VIII. distinxit ex intentione patris, eoque negavit casu, si forte pater, amplius de facultatibus suis, quam in his erat, sperans, omnem pecuniam maximamue eius partem feudo emendo impenderit, eoque defuncto filiae legitima laesae comprehendantur, patrem enim suo iure usum fuisse, atque legitimam tempore mortis ex heredio patris computari ait, admisit autem, si id ipsum animo defraudandi filias legitima fecerit; plerique tamen absque omni distinctione sententiam nostram secuti sunt, in quibus nominare licebit BAVERVM, HOMMELIVM, SIEGELIVM et qui eisdem accessit Illustr. WERNSDORFIVM in *diss. de legitima ex feudo novo*, secundum legem Saxoniam petenda Vitebergae 1790. proposita. Itaque regulam indistincte definiendam puto, filiabus ex feudo novo pecunia patris matrisue emto, aut ex re patrimonio utriusque oblato, deberi legitimam, si hoc ipso factio aut tota patris matrisue substantia fuerit absunta, aut legitima saltim filiarum laesa. Non rescindi in tali casu emtionem oblationemue, ut in pristinum statum res reducatur et successio ipsa morte

D 3

patris

patris filiis delata infirmetur, manifesti iuris est, vtrum
 autem collatio feudi pretiue, an aliud sit negotium?
 omnino quaeri potest. Evidem nego hanc legitimae
 aut praestationem aut expletionem veram esse collatio-
 nem. Primum enim veteres, quorum sententias in hoc
 articulo nos sequi oportet, in casu praestandae aut sup-
 plendae legitimae rem pecuniamue laesis praestitam con-
 ferri, non dixerunt, deinde filiabus lege datum fuit ius exi-
 gendae legitimae a filiis ex feudo nouo, quaelibet igitur
 aut seorsim aut cum reliquis ager, ut id, quod legitimae
 suae deest, praestetur. Quamobrem in tali casu non
 querelam inofficiosi feudi, quam vocant, sed condicatio-
 nem ex lege seu actionem expletoriam dari puto, in qua
 quidem re consentiens habeo summum quod Dresdae
 est appellationum tribunal. Cum enim teste WERN-
 DORFIO §. XXIX. Iudicium Prouinciale Marchionatus
 Lusatiae Inferioris contra filiam ex feudo nouo legiti-
 mam clauso quinquennio petentem pronunciasset; actio-
 nem exspirasse: summus appellationum senatus, reme-
 dio supplicationis interposito, rescissa hac sententia decre-
 vit, perpetuam hanc esse actionem, qua legitima ex
 feudo nouo petatur. Fieri etiam potest, vt si plures
 adsint filiae, vni plus alteri minus desit, ideoque a qua-
 libet inaequalis petatur summa, quod autem confertur
 aequaliter inter omnes distribuendum est. Itaque non
 mutabitur feudi successio inter filios, sed soluunt aut re-
 plent,

plent, tanquam feudi noui successores possessoresque, sororibus legitimam. Ex quibus omnibus nouum argumentum oritur, feudum collationi non esse obnoxium. Quodsi enim ex feudo nouo filiabus debetur duntaxat legitima eo casu', si haec ex allodio defuncti parentis praestari non potuit, sequitur, vt cesset omnis alia petitio collatioque. Atque si huic locum dare velis, filiae re vera succendent in feudum, id enim nihil refert in collatione, vtrum res restituatur an pretium massae inferatur, portio enim eius, quod collatum fuit, iure successionis capitur. Quis vero has contradictiones feret aut conciliabit? In Saxonia, patria charissima, ex sanctione D. AVGUSTI de legitima ex feudo novo praestanda Tom. I. Cod. Aug. pag. 131. num. II. nullum mihi remanet dubium, post legitimam enim filiabus deputatam legislator ait: *sonsten aber aus und an dem Guth oder neuen Lehn keine Zu- oder Ansprüche haben*, et post imminutam in hoc casu legitimae quantitatem, vt, semisse sublato, quatuor plures, que liberi trientem, tres paucioresque quadrantem acciperent, sancitur, vt omnia a parentibus accepta in legitimam filiarum imputentur, hoc adiecto: *und sollen daneben aus den alten und neuen Lehn, keine andere und mehr Ausstattung und Gebürnis zu fordern Macht haben*. Fieri etiam potest vt feudum nouum aut ad simultaneę inuestitos deuoluatur, aut ad dominum reuertatur, filiis praeter opinionem ante patrem defunctis, quo quidem casu

casu nullum dubium est, quin filiae eodem iure circa legitimam gaudeant, eritne autem haec collatio? Nihil addo in iure tam manifesto.

TIT. VIII.

Exceptiones regulae propositae atque breui dissentientium scripta recensentur.

Sane existere possunt casus, quibus totum feudum collationi secundum pretium erit obnoxium, nimirum si pater allodium obtulerit in feudum ea lege, vt mox filio conseratur, aut si huic feudum emerit tradideritque. Vterque casus coincidit, in utroque autem filium filiosque sororibus aestimationem feudi post mortem patris conferre debere statuo. Feudum hoc a viuis parentibus prosectorum, ideoque regulae de collatione definitae subiaceat necesse est, nec obstant reliqua argumenta, quae ex successione feudi delata, supra fuere deducta. Pretium autem, non ipsam rem conferri, arguento legum Romanarum intelligitur, atque id ipsum natura feudorum satis edocet. Consentit GOTHOFREDVS MASCOVIUS diff. de collatione bonorum §. XXIX. sed quid, inquiens, si pater ipse uni filiorum feudum comparauerit et filium eo inuestiri fecerit, debebitne vel hoc saltim conferri? imo exemplo praebendae vel beneficii ecclesiastici filio a patre emti, pretium quidem a patre emtioni feudi impensum conferendum erit,

erit, caeterum feudum ipsum collationi eximetur. Sed quaeritur an idem sequendum sit eo casu, si pater feudo nouiter emto oblatoue inuestitus, domino id ipsum post aliquod tempus refutauerit, vt filio traderetur? subsisto, potest enim anticipata videri successio, tamen idem sequendum censeo. Hactenus de collatione feudorum inter descendentes, neque dubito, quin plerique hanc meam secuturi sint sententiam. Dissentient autem et feuda noua collationi obnoxia esse defenderunt PESTELIVS progr. pecuniam qua *feudum emtum est in commune conferri debere*; illustris Academiae Marburgensis Cancellarius, SELCHOVIVS T. III. casuum enucleatorum num. LXXXI. atque CHRISTOPH. CHRIST. DABELOVIVS in *commentatione: Erörterung der Frage: sind die Töchter eines verstorbenen Lehnmannes befugt, bey der Succession mit den Söhnen im väterlichen Allode, die Conferirung der neu erworbenen Lehngüter zu verlangen?* forte et alii. Pestelianum scriptum mihi in manus non venit, ideoque de eo iudicare non possum. Selchouius casum singularem tractat, in quo de summa pecuniae non de feudo toto conferendo quaerebatur, in eam tamen sententiam inclinat, pecuniam in emtione feudi collocatam conferri debere, sed memorat in eodem casu ab Ordine Iureconsultorum Lipsiensi et Goettingensi id negatum fuisse, ideoque mihi gratulor, quod vtrumque hunc or-

E

dinem

dinem consentientem habeo. Dabelouius quaestionēm eleganter quidem et ingeniose tractauit, in argumentis equidem examinandis et refellendis non morabor; mihi autem πρωτον Ψευδος in eo latere videtur, quod statuerit, ea etiam quae post mortem parentum adquiruntur, conferri oportere. Quod quidem in iure tam aperto vix serio potest dici aut defendi. Sed nolo sedere iudex, legentium esto iudicium atque existimatio. Reliqua persequar.

CAP. III.

DE FEVDORVM COLLATIONE INTVITV
VIDVARVM.

TIT. IX.


Portionem statutariam non augeri ex feudo, atque ne ad quartam quidem coniugi inopi post mortem mariti debitam pertinere.

Noua plane Romanis incognita, iuribus præsertim Saxonicas recepta, occurrit successio, viduae nimirum in portionem statutariam, constitutione D. AVGVSTI XX. Part. III. accuratius definita. Origines et causas huius successionis inuestigare nostrum non est, nec expendemus eius naturam, vtrum autem feudum mariti defuncti in portione statutaria definienda computetur, eaque de causa in communem hereditatis massam conferatur, nostrum

strum est quaerere. Nobiles quidem viduae aliis plerumque iuribus circa feuda mariti gaudent, neque tamen non, certe in Saxonia nostra secundum *Constitutionem XXXVII. Part. III.* iure viduarum ciuicarum post mortem mariti vti possunt. Casu enim existente, quod praeter feuda, allodialia etiam maritus possideat bona, viduae nobilis erit perscrutari, num consultius sit, iura viduis nobilibus competentia exercere, an his omnibus renunciatis portionem sibi eligere statutariam. Iniunxerunt vero leges viduae statutariam portionem eligenti, vt et dotem et geradam et reliqua sua bona, quae tempore mortis possidet, conferat. Nunc quaestio potest moueri, an vidua, quae in fauorem reliquorum heredum confert, etiam ab iis exigere queat collationem? Supra ex legibus Romanorum negauimus collationem extraneis prodesse, idemque adhuc sequendum puto, si testamentis parentum liberis adiungantur heredes extra-nei. At enim in casu proposito, mihi ex pristinis iuris patrii rationibus contrarium videtur. Vidua conferre tenetur bona sua, vt cum liberis atque heredibus mariti in communionem hereditatis admittatur. Necessitas enim huius collationis ex pristina coniugum communione superest, vt quasi redintegretur et quae olim fuerat successionis ergo restituatur communio. Liberi a patre accepta etiam conferre debent, haec igitur in communem hereditatis massam coniiciuntur, vt inter omnes.

E 2

con-



consortes simul cum reliquis bonis distribuantur. Deducto aere alieno, remanet hereditatis massa, eaque nunc est omnium communis, ideoque liberi id quod collatum fuit praecipere et portionem viduae, quae cum ipsis in communione est opum paternarum, minuere nequeunt. Itaque vidua in proposita specie persona extranea iuribus Germanorum, censeri non debet, atque omnino negamus iuris Romani in hac Germanorum et Saxonum successione applicationem. Haec etiam mens esse videtur DIVI AVGVSTI Const. Elect. 20. Part. III. verbis: *nach Bezahlung der Schulden, aus allen ihres ersten Mannes übrigen Gütern,* quae enim a patre in liberos collata et post mortem eius successionis ergo restituta fuere in patris hereditatem, patris bona recte dicuntur. Ex aliis rationibus nobiscum sentit CARPZOVIVS Def. XXVII. ad Const. XI. Part. III. At vero liberi propria bona, quae caeteroquin collationi obnoxia non sunt, viduae non conserunt, licet haec omnia bona sua, in communionem inferre teneatur. Ratio in promptu est, quae enim liberi non a patre acceperunt, ex illa, quam leges hic ponunt et fingunt communione non sunt profecta, ergo nec vidua eorum particeps fieri potest. Sed quidquid sit, feudis tamen mariti nunquam portio statutaria augebitur. Possem analogice concludere, cum ne filiabus quidem, quarum successio in patris bona multo fauorabilior est, ius competit a fratribus exigendi feudo-


feudorum collationem, sequitur, vt multo minus viduae
hoc ius tribui possit. Sed aliud etiam addam argumen-
tum. Moribus Saxonis, quibus portio statutaria in-
primis est introducta, nunquam extraneus successionem
vel aliud ius in feudum sibi potest vindicare, nisi simul-
taneam habeat inuestituram. Vidua autem est extranea
persona, quilibet ergo mihi condonabit conclusionem.
Atque id ipsum etiam ex *H. Feud. VIII. §. 2.* intelligitur,
quo negatur feudum quartae seu tertiae quae a Longo-
bardis seu Romanis viris, vxoribus constitui solet, post
mortem viri imputari. Vsum tandem huius doctrinae
CARPZOVIVS *Def. XX. ad Const. XX. Part. III.* atesta-
tur. Restat vt casum istum *Nou. CXVII. Cap. V.* attin-
gam, si vxor adest inops, cui cum tribus heredibus
quadrantem, cum pluribus concurrenti, partem viri-
lem adiudicant leges Romanae. Iustissima mihi vide-
tur haec legum sanctio, in primis hoc addito, quod
cum liberis concurrens tantummodo vsumfructum,
cum extraneis autem dominium habeat suae partis. Nec
in eo casu feuda mariti imputari posse in massam heredi-
tatis statuo, partim ea ex ratione, quod vidua ad ius
commune si respexeris non iure sanguinis gaudet, sine
quo nulla in feudo datur successio, iure Saxonico autem,
quoniam non est simultanea inuestita, partim ex ratio-
nibus supra iam deductis.

T I T. X.

*Viduam, quae feudum possidet portionem statutariam capere posse,
absque feudi sui collatione, sed non quartam iuris Romani,
inopi coniugi debitam.*

Cum multa hodie occurrunt feuda feminina, interdum oritur casus, quod femina matrimonium quae init, feudum possideat. Potest omnino mulier feudum marito in dotem dare, quod ex *II. Feud. XIII et XVII. princ.* patet, iurisque manifesti est, feudum mortuo viro redire ad vxorem. Pone igitur hanc postulare velle portionem statutariam, quod ipsi non est negandum, cum in *Const. Elect. XX. Part. III.* expressis verbis praecipiatur: *so soll sein Weib ohne Unterschied, ob sie reich oder arm, einen vierten Theil nehmen und haben, nunc quaeritur vtrum iure Saxonico succedens, feudum suum eiusue pretium debeat conferre?* Posset quidem ita videri cum ELECTOR SAXONIAE *Const. XX. Part. III.* generalibus his vtatur verbis: *und die Frau in beyden Fällen, alle ihre eingebrachte, anererbt und andere Güter zu samt der Gerade in die gemeine Theilung zu bringen schuldig seyn.* Neque tamen non contrarium sequor. Feudum enim propriam naturam habet, vt ad communionem coniugalem referri nequeat, neque puto quemquam iure communi aliter sensurum. Vtrum ex allata lege in Saxonia aliud statuendum sit videamus, verba qui-

quidem anererbte und andere Güter, paraphernalia et receptitia bona exprimere mihi videntur, cum opponantur den eingebrochen: Ne igitur vidua obligationem conferendi, ad dotem existimet restrictam, etiam reliqua exprimere utile duxit legislator. Sed quid? si feudum intulerit marito? Ne tum quidem id statuo, quamvis constitutio bonorum illatorum meminerit. Verba enim alle ibre Güter non complectuntur feuda, partim quia generali omnium bonorum appellatione non comprehenduntur II. Feud. XXVI. §. 17: partim quia in sensu legis non possunt dici ibre Güter, proprietas enim uti II. Feud. VII. §. 2: expresse traditur, ad alium id est ad dominum pertinet. Tandem eadem argumenta in proposita specie pro vidua valebunt, quibus paulo ante contra eandem usi sumus. Ex causa enim sanguinis vel simultaneae investiturae; cui nullum ius in feudum competit, frustra hoc petet. Iam vero hoc locum habet in heredibus mariti, ratione feudi in dominio viduae constituti. Licet igitur eligat portionem statutariam, tamen praeter allodialia bona quamvis exigua sint, nihil de feudo obligata est conferre. Casus enim ut nihil praeter feudum possideat vidua vasalla, cogitari nequit, ideoque de eo non dicam. At enim a quarta iuris Romani, quae pauperibus coniugibus ex bonis defuncti tributa fuit, vidua quae possidet feendum arcenda erit. Alimentorum enim rationem habuit Iustinianus in hac constitutione,
possi-



possidens autem feudum, non est, quod anxia sit de alimentis et sic cessante legis ratione ipsa cessabit lex, nisi forte tam exigui pretii sit feudum, ut honeste inde se exhibere nequeat. Tunc nec vasallam a petitione quadrantis coniugi pauperi ex lege Iustiniani competentis, repelli posse existimo.

Quae hactenus disputauimus, eundem in modum ad virum proferri et applicari debent, si mortua vxore vasalla iure coniugis pauperis vtatur. In quadrantem enim neque imputabitur feudum vxoris, neque petet quartam ex vxoris substantia, si ipse feudum possideat, modo inde se honeste exhibere possit. Quod si enim hoc fieri nequeat, vasallus quoque pauper erit coniux. In Saxonia propter hereditatem maritorum mobiliarem alio iure vtimur, si vero contingat, ut mortua vxore vir superstes euadat coniux pauper, ius commune sequendum censeo.

VIRO

V I R O
PRAENOBI LISSIMO ATQVE ORNATISSIMO
DANIELI EBERHARDO LOEHARIO

S. D. P.

D. CHRISTIANVS GOTTL OB
BIENERVS.

*Libellum a TE mihi oblatum magna cum voluptate perlegi,
partim quia a TE profetus fuerat, quem assiduum attentumque
in scholis meis cognoveram auditorem, partim quia interiorem utri-
usque iuris et ciuilis et feudalis notitiam mihi praese ferre atque iu-
dicium solers literisque subactum prodere videbatur. Quare nihil
aut addendum aut detrahendum existimaui, quae enim, ut ne quid
dissimulem, manu mea passim interspersa consilioe meo a TE scri-*

F

pta

pta fuerunt, tanti non sunt, ut vel minimum industriae gloriaeque
TVAE delibetur. Itaque TIBI hoc diligentiae doctrinaeque
specimen ex animo gratulor, laetus iubensque TE in cathedram
comitabor, spe certissima fatus, fore ut laudem scribendo partam
disputando augeas. Velim, MI LOEHRI! TIBI persuadeas,
hoc TVO honore nihil gratius, nihil iucundius mihi accidere potu-
isse, ex quo enim TE cognoscendi copiam natus sum, amare TE
etiam atque diligere coepi. Placet enim semper modestia ac vere-
cundia, simplex quaedam ac naturalis morum elegantia, nec adfe-
ctata comitas praesertim in iuene, quae si ab ingenio et litera-
rum studiis commendantur, non possunt non amorem excitare. Mihi
igitur temperare non possum, quin PARENTIBVS TVIS filium
gratuler, quem, si perrexerit quam instituit, multiplicem ipsis lae-
tandi occasionem, praebiturum, auguror. Vale, Vir Amicissime!
meque TVI amantissimum, amare perge!

Dabam in Vniuers. Stud. Lips. A. D. VI. Decembr.
MDCCXCIII.

Tus folio 115 ½

